UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

29. Dies Octob. Felix commercium, ubi datur lutum, tollitur aurum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

Visual Library

quid denique tu Bonitas, amas me malitiam? Eja Anima incipe, vel nunc amare eum, qui ab initio sine initio te amavit & in fine sine fine te amat, & ab æterno expectavit, ut eum amares, & in æternum deinceps paratus est te amare. Paciscar Domine tecum, ut olim sponsa tua Catharina. Domine, tu cogita de me, & ego cogitabo de te. Beatum pactum, quo acquiritur cœlum, imò Dominus cœli. Quidni hîc exclamem:

O felix pactum, summo cum Numine factum!

29. DIES OCTOB.

Felix commercium, ubi datur lutum, tollitur aurum. *Petrus Damianus l. 7. ep. 7. ad Agnet.*

Commercium cum Deo. I. VIcturum te existimares aurea sæcula, si quantum est luti in platea, tantum esset auri in tua crumena. In tua est manu, tale, dum volueris, inire commercium. Pluris tibi, credo, est cælum, quàm omne aurum. Desere terram, hoc est, lutum, accipis cœlum: despice terrena, dabuntur tibi cælestia; sperne humana, acquires Divina. Si hîc esset in terris locus, ubi foret gazophylacium Christi, nónne malles collocari tuas pecunias in tuo sacrosancto gazophylacio, quàm in tuo malefido marsupio? Festivè B. Alcuinus: (a) *Avarus*, inquit, *aurum quærit, & quid in auro, nisi species vana? Nonne unus panis esurienti melior est, quam mons aureus? Aurum prodesse potest danti, non accipienti. Ideò demus divitias in præsenti, ut in futuro possideamus illas. Nam pauperis manus, gazophylacium est Christi.* O Chri-

(a) *Ep. 66.*

Christiane! quantum diligis Christum, tantum æstima gazophylacium Christi. Osculare pauperis manus, sint licet callosæ, scabiosæ, purulentæ, fœculentæ. Pone in illis manibus decumanum nummum, hoc est, lutum, & accipies aurum, hoc est, cœlum. Nam, teste Joanne, (a) *Plateæ civitatis*, (videlicet cœlestis) *aurum mundum*. Instat Christus: (b) *Suadeo tibi emere à me aurum*. Negabis te habere, quo aurum emas, pretium. Pretium auri, est massa luti. Hoc da, & accipies illud.

II. Quid est hic, in quo degimus, mundus, nisi forum nundinarium? Et quid sunt, quibus hîc vivimus dies, nisi, teste Gregorio Nazianzeno, tempus nundinarium? Consentit Chrysostomus: *Nunc est panegyris, & nundinarum dies, qua quisque sibi comparare potest, quæ utilia, aut necessaria videbuntur*. Dum ergò hîc celebras nundinas, expende pecunias. Si quis veniret ad nundinarium forum, & quo merces emeret, nihil conferret præter lutum, nónne ut stultum conspurcarent cum luto? sumus omnes lutei, quidquid possidemus de bonis terræ, est ipsissimum lutum. Satis est, nos ad cælestes nundinas venire luteos, cum luto, Deus est institor, tu nundinator. Audacter accede; noli cum Petro dicere: (c) *Argentum, & aurum non est mihi*. Clamat, & invitat te, qui vult emi à se. (d) *Qui non habetis argentum, properate, emite, comedite, venite, emite absque argento*. Ardet vendere, tu ardeas emere. Vult te ad suas, quas proponit nundinas, properare, non vult te hîc esse instar testudinis tardipedem, sed instar Pegasi alipedem;

(a) *Apoc.* 21. 21. (b) *Apoc.* 3. 18. (c) *Act.* 3. 16. (d) *Isai.* 55. 1.

pedem : non vult te tantum venire, sed properare. Non exigit à te aurum, vel argentum; da quod habes vilissimum, & accipies, quod non habes, pretiosissimum. Dum ergò hic celebras nundinas, ut emas merces, eroga pecunias. In his nundinis exponitur Virtus omnis venalis, tu tantum, ut emas, esto liberalis.

III. Ut Dii, testibus gentilibus, omnia venundant laboribus, sic & Deus omnia sua vendit labore, sed facili; molestiâ sed brevi; incommodo, sed exiguo; pretio, sed propè nullo: Vendit quâ nihil in cœlo, & terra habet æstimabiliùs, suam gratiam, unico cordis suspirio, unius diei jejunio, una ex oculis lachrymula, una sanguinis guttula, una sudoris stillulâ, unâ oris voculâ, unius horulæ vigiliâ. Quid adhuc torpes stolide mercator, quid hæres insane nundinator? si nihil habes quod des tui, da te, & habebis cœlum, & cum cælo Deum, & cum Deo & in Deo, omnia quæ sunt Dei: si nihil pro Deo potes facere, saltem quod potes, aliquid pro illo patere: si non velis dare pecuniam, saltem velis, dum aufertur, pati ejus jacturam. Patiendo, & nihil faciendo, potes emere Regnum cœli. Ideò imprime tibi illa humilis Francisci aurea verba. *Quando omnia perdidisti, & ideò afflegeris; habeto semper hæc verba in corde. Pro his omnibus paratur nobis Regnum cælorum.* Si, quod tibi vendit Deus, & pretium quo emis à Deo inter se conferas, necesse erit verba illa D. Romualdi proferas. *Cœlum est tam magnum, Pœnæ nostræ tam parvæ, & dies nostri tam breves, ut oporteret nos mori præ pudore, dum conquerimur.* Utere ergò cum quæstu, hoc nundinario tempore, cujus vel unicus dies, est

omni

omni pretiosior pretio. Idipsum testatur D. Scholastica. *Dies unus benè impensus obsequio Dei, plus valet, quàm millia annorum ad obtinendum universum mundum.* Arrige aures loquenti Divino mercatori.

Tu modo da cœnam, reddam pro munere cœlum.

30. DIES OCTOB.

Sustinete virgam corripientem, ne sentiatis malleum conterentem. *S. Bernardus in psal. Qui habitat. Sermon.* 10.

Peccati comes, Pœna.

I. PRioris diei tessera te docuit methodum feliciter nundinandi. Sapientis est malle pati in hac vita levia, quàm post illam gravia: melius est enim corripi, quàm conteri. Divina Justitia, ut reddat unicuique juxta sua merita, sicut habet geminas manus, ita & gemina, quibus castigat instrumenta, altera est dextera, altera sinistra manus: illa est Patris, hæc Judicis, illâ tenet virgam, hâc malleum; dextera corripit, sinistra conterit: utitur virga contra amicos, ut corripiat ad momentum: utitur malleo contra inimicos, ut conterat in æternum. Vide quid eligas; ne postea te pœniteat elegisse. Ut semel castigeris, non est libertatis, est necessitatis. Peccasse te, tam est certum, ut non possis negare te peccatorem, quin novum committas peccatum. Ubi præcessit culpa, necesse est sequatur pœna. Culpa enim nunquam est solitaria, pœna illam non tantum sequitur ut pedissequa à tergore, sed adhæret ejus comes à latere. Quid ergò miraris te corripi, ubi commisisti corripienda? Nónne tu unus ex illis es, de quibus conqueritur, qui